

Q.K.
3793

(X1877890)



DISSERTATIO
DE
FORMA IMPE-
RII POLONICI,

conscripta

à

M. CHRISTOPHORO Hartknoch/
Passenheimensi Prusso.

REGIOMONTI,
Excudebat PASCHALIS MENSENIUS,
ANNO 1675.



VIRIS

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSI-
MIS, SUMMAQUE PRUDENTIÆ LAUDE
CLARISSIMIS

DN. PAULO FREYLING,

Reipubl. Palæopolitanæ Senatori per multos annos
longè meritissimo.

DN. JOHANNI FREYLING,

Hæreditario Domino in Rippen.

*Dominis meis ac Fautoribus multis benevolentia nominibus
perspectis & summopere honorandis.*

Dimidius ferme annus est, ex quo dissertationem hanc Paulus Freyling summa spei juvenis propria manu descripsit, eandem pro cathedra Academica publice defensurus. Sed spem de tam laudabili ipsius conatu conceptam mors invida elusit, cum ipsum inter media hac molimina crudeliter extinxit. Quamvis verò interea non defuerint, qui hanc ipsam dissertationem me Preside tueri volebant; mihi tamen religio fuit, illud, quod Freylingius jam suum fecerat, alterius nomini supponere. Hoc itaque, quod Vobis Viri Nobilissimi ut respectivè Avo & Parenti suo, si supervixisset, dedicaturus erat gratus Nepos & Filius, ego jam ut magnis meis Fautoribus gratus cliens dedico atque consecro. Ut vero hoc quodcunque est munusculi benevolâ fronte accipiatis, & non ex meo tantum, sed ex piè defuncti quoque animo aestimetis enixe rogo

Nobilissimis Amplitudinib. Vestris

O bstricis.

M. CHRISTOPH. Hartknoch.



I. N. J.

DE FORMA IMPERII POLONICI.

I.

Quemadmodum corpus humanum suam
habet *materiam*, ex quâ constat; & suam *formam*,
per quam constat, sic etiam Reipubl. corpus suam
habet *materiam*, suam etiam *formam*. *Civitas* quæ
est multitudo civium, prout adhuc sine ullô ordine consideran-
tur suppeditat imperio *materiam*. l. 1. Polit. c. 2. & l. 3. Polit. c. 6.
Respublica verò sive ordo certus inter multitudinem illam civi-
um institutus, est *forma* & quasi *anima* reipubl. l. 3. Pol. c. 4. &
l. 4. Pol. c. 11. Ut autem in Reipubl. ordo inter *omnes ci-
ves* observari debeat, potior tamen ratio habenda est *Imperan-
tium*, qui sunt primaria civitatis membra, & inter eos, potissi-
mum illorum, penes quos est *summa* in Imperio *potestas*. Ita
enim natura comparatum est, ut illis in rebus, in quibus est cer-
tus ordo, daturq; aliquid primum & secundum, ejus maxime sit
ordo, quod in eò genere est primum, idq; propterea, quoni-
am ad finem, ad quem directa sunt illa omnia maximum adfert
momentum. Non secus hic sese res habet, atq; in Systematibus,
quæ ex multis sunt composita. *Ibi enim qua primaria pars est
compositi, ipsa res maxime est.* Ita etiam *principalis pars ci-
vitatibus, civitas ipsa esse videtur.* vid. Arist. l. 9. Eth. c. 8. Et ob
hanc etiam rationem Reipubl. ab Arist. definitur, quod sit *ordo
civitatis cum aliorum imperantiũ, tum præcipue illorum, penes
quos est summa potestas.* l. 3. Polit. c. 6. Si itaq; formam Im-
perii Polonici cognoscere volumus, ad *Imperantes* respicia-

mus

mus necesse est, ut ex eorum numero colligamus, quænam ipsi & olim convenerit, & adhuc hodie conveniat forma.

II. Ex tribus Reſtarum Rerump. formis, de quibus Arist. l. 3. Polit. c. 7. agit, statim ab initio *regia Rempubl. administrandi ratio* Polonis placuit. Nisi forte duo tempora excipias, videlicet unum post extinctum *Lechum*, alterum post vóluntarium *Vende* Virginis Ducissæ Poloniæ interitum, de quibus videantur historiæ Polonicæ. Contenti verò fuerunt Polonici Monarchæ, titulo *Principum* sive *Ducum*, donec secundum Scriptores Polonicos *Otto III. S. Adalberti* in Prussia cæsi corpus visurus, in Poloniam venit, regiumq; titulum *Boleslao Chrobri* Duci Polon. contulit. Quamvis Germanici Scriptores id negent, Ducem Poloniæ sibi hunc titulum in Injuriam Imperatoris & Imperii sumpsisse asserentes, prout hoc alibi diductum est. Illustrissimus Andreas Maximilianus Fredro Castellanus Leopoliens. adhuc aliam hic fovet sententiam. Existimat enim quod Otto III. non contulerit solenni ritu Boleslao dignitatem regiam, sed quòd tantùm honoris gratiâ ipsum appeillarit Regem: Post discessum autem Ottonis putat Boleslaum sibi titulum Regium sumpsisse, cum putaret quemlibet Christianum Principem, qui nemini subjectus esset, debere esse hoc titulo insignem. in Fragmentis Polit. pag. 150. seq. Quicquid tamen ejus rei sit, hoc certum est eam dignitatem regiam, non ultrà quartum Regem, cui itidem nomen erat *Boleslai*, mansisse. Nam ut Boleslao I. Episcopi mors ad titulum adeò splendidum accipiendum primam præbuerat occasionem, ita etiam fatali quòdam rerum humanarum circulo mors alterius Episcopi à Boleslao II. cæsi ad eundem titulum perdendum fuit causa. vid. Martin. Cromerus l. 4. & 5. de ortu & rebus gestis Polonorum & alii plurimi historici.

III. Cùm autem quinque species regni enumerentur apud Arist. l. 3. Polit. cap. 14, & 15. paulò pressius nobis investigandum erit, ad quamnam speciem Regni, Polonicum Regnum

gnum sit reducendum. *Prima species regni apud Arist. est regnum Heroicum, quod Heroibus, qui aliquid civitati salutare, sive pacis sive belli temporibus gesserant, solebat conferri. Et talia regna olim fuerunt illorum, quos postea ut Deos credula coluit antiquitas, ut fuit Saturnus Rex Italiae, Jupiter Rex Cretae, Vulcanus Rex Aegypti. Non erat tamen illorum potestas absoluta, sed certis legibus limitata, consistens potissimum in jure sacrorum, in jure belli & in disceptatione causarum civilium, quas judicabant, alii jurejurando praestito, alii sine jurejurando & solummodo per elevationem sceptri.* *Secunda species regni est regnum Barbaricum, quod exercebatur in gentes Barbaras ad servitutem pronas. Constat enim fuisse, & adhuc esse quasdam gentes, quae non possunt vivere nisi serviant, quos justo dominio subjici non est injustum. Magis autem Asiaticas gentes naturam esse aptas ad serviendum quam Europaeas, tradit Arist. l. c.* *Tertia species est regnum Aesymneticum, quod quidem absolutam omnium habuit potestatem, non fuit tamen perpetuum. Solebant enim olim liberae gentes, in statu Aristocratico vel Democratico viventes, ingruentibus subitis belli periculis, imperium ad unum devolvere. Viderunt enim quod plurimum imperium bello inutile sit. Nam tendendo ad sua quisque consilia, cum aliud alii videtur, aperiant occasionem locum hosti. Liv. l. 4. cap. 31. confer. Tacit. l. 1. annal. c. 9. Simulac verò periculis illis Respubl. fuerat defuncta abrogari solebat Aesymnetis imperium. Tales Aesymnetae olim fuerunt apud Romanos Dictatores, de quibus vid. Dionys. Halicarn. l. 5. Antiq. Rom c. 79. & 82.* *Quarta species est regnum Laconicum. Apud Lacedaemonios olim duo Reges erant ex duabus certis familiis electi, quorum tamen pacis tempore potestas fuit exigua. Nam illas tantum ipsis praerogativas à populo fuisse concessas refert Herodotus, ut in convivis primi accumberent, duas partes & quidem lautiores*

pra caeteris convivis acciperent, libamina & coria immolato-
rum sibi vendicarent. In spectaculis etiam certis praesiderent,
duos eligerent Pythios, qui Delphos mitterentur ad oracula con-
sulenda, ipsis etiam ad publicas coenas non venientibus mitte-
retur certus cibus & certa vini mensura. vid. Herod. l. 6. ante
med. pag. 379. Bellicis autem temporibus hi Reges vitae & ne-
cis jus habebant, teste Arist. l. 3. Pol. c. 14. Confer. Cornel.
Nep. in vitâ Hannib. cap. 7. Quinta species regni dicitur
πανβασιλεία, & est regnum, ubi unus supremâ potestate prædi-
tus nullisque legibus adstrictus, absolutè imperat, & ad com-
munem respicit utilitatem.

IV. Ad harum quinque specierum unam Regnum Polo-
nicum pertinebit, aut saltem proximè ad illarum aliquam ac-
cedet. Sed quoniam Regnum Polonicum per mille præter
propter annos jam stetit, varias in illo contigisse mutationes,
non est quod dubitemus, undè etiam modò ad hanc, modo ad
illam ex dictis speciebus potuit reduci. Ut autem hoc è me-
lius investigetur, percurremus singula Majestatis jura, & quoad
fieri poterit, singulas circa illa mutationes, à primis Regni Po-
lonici incunabulis factas commemorabimus: Tandem etiam
nostrum judicium de singulis Regni Polonici statibus feremus,
quænam forma ipsi & quondam convenerit & adhuc conve-
niat ostensuri. Hoc autem statim ab initio notandum est Scri-
ptores Polonicos concedere primis temporibus Ducum Po-
loniæ absolutam fuisse potestatem; *Fuit initio*, ait Cromerus,
*liberior dominatus Principis Polonia, & nullis propemodùm le-
gibus adstrictus, infinitam non modò omnium rerum sed etiam
vitæ necisq; omnium potestatem habens.* l. 2. descript. Polon.
p. 124. Et jam ante Cromerum Johannes Dlugossus Primum
Poloniæ Ducem *Lechum*, appellat, *vitæ necisq; Dominum.*
Tom. 1. l. 1. hist. Pol. fol. 63. Sed quid de his sit sentiendum
ex sequentibus apparebit, jam pergimus ad ipsa regia: Majesta-
tis jura.

V. Inter

V. Inter primaria Majestatis iura primum locum deferrimus potestati LEGUM FERENDARUM. Cum enim Regis sit civitatem sibi subjectam regere, regere autem eandem commodius non possit, quam si ipsi leges præscribat, secundum quas vitam suam instituat, ideò non immeritò leges sibi primum vendicant locum. Et ex hòc principio facultatem, quæ est circa leges condendas Arist. vocat ἀρχαίολογικὴν. l. 6. Eth. c. 8. De legibus autem antiquorum Polonorum sequentia tradunt Polonici Scriptores. Videlicet tempore *Lechi*, ius dari solitum fuisse asserunt, *non ex præscripto legum, quæ nulla erant, sed ex arbitrio Principis, hoc est ex aequo & bono.* Ut volunt Martin. Cromerus l. 2. de ortu & rebus gestis Polon. Tom. II. in Corpore historiæ Polonicæ, fol. 419. & Salomon Neugebauer. l. 2. hist. Polon. in Lecho. p. 40. Deinde verò circa annum DCC. *Grachum*, sive, ut ab aliis vocatur, *Cracum* primum leges promulgasse refert Joh. Dlugossius Tom. I. l. 1. fol. 51. post med. Postea *Boleslaus Chrobri* cum factus esset Christianus *Reipubl. tenorem ad utilitatem Legesq. salutiferas gratia humane societatis descriptas condidit & edicto publico promulgavit.* Dlugoss. Tom. I. l. 2. fol. 164. Sed hæ leges videntur fuisse non adeò multæ. Nam idem Dlugossius de *Miecislao I.* Boleslai illius filio & successore tradit, *quod primus leges enumeraverit.* l. 2. fol. 92. fin. Circa finem seculi XII. *Casimirus justus* Boleslai Crivouffi filius natu minimus tres leges tulisse dicitur: (1.) *Ne nobiles in agrestium bona grassarentur.* (2.) *Ne quis legationis necessitate jumenta, equos colonis auferret.* (3.) *Ne Ecclesiasticis bonis vis inferretur mortuo Episcopo.* Dlugossius l. 6. fol. 484. Idem Casimirus post mortem audit *Lator optimarum legum.* Dlugoss. fol. 507. Post Casimirum hunc *Boleslaus Dux* majoris Poloniæ Proavus Casimiri M. Regis Poloniæ leges condidit. Anno 1264. *Calissæ*, quæ comprehendunt tantum Privilegia quædam Judæis concessa. Reperiuntur

et hæc leges apud Johannem Januszovium l. 10. Constit. Regn. Polon. tit. 1. Folio 1115. Porro circa annum 1235. Cum *Henricus Barbatus* Cracoviam occupasset leges quasdam improbas & pestilentias, *quæ auxiliares, virginales & viduales* dicebantur sustulit & meliores nonnullas sanxit. Cromer l. 9. fol. 535. & qui eum ubiq; ferè exscribit Neugebauer. l. 3. hist. Pol. p. 137. Post hos omnes **CASIMIRUS** Magnus Sec. XIV. *partim novas leges condidit, partim veteres emendavit* Cromer. l. 12. fol. 598. De eodem Casimiro postea dicit Cromer: *In Comitibus Vislicensibus leges scribi iussit, quibus Palatinorum & iudicum infinita potestas certis cancellis coercita est, ut non ex moribus aut libidine suâ, sed è scripto jure deinceps judicarent.* l. 12. fol. 602. Et hunc Casimirum quidam Polonici Scriptores *primum faciunt legum apud Polonos conditorem.* Vid. Simon. Starovolsk. in descript. Polon. p. 242. Hoc tamen ita vult intelligi Cromer, quod Casimirus condiderit *leges scriptas*, cum antea Poloni *legibus non scriptis* uterentur, ut patet ex verbis jam adductis. Quamvis neq; hoc ita simpliciter accipi possit, cum & *Boleslaus Chrobri* leges scriptas condiderit, ut Dlugossum supra audivimus asserentem, & *Boleslai* Ducis Majoris Poloniæ proavi *Casimiri M.* leges scriptæ adhuc habeantur apud Januszovium l. c. Nisi dicere velimus & has primitus non fuisse scriptas sed postmodum à Casimiro M. in tabulas relatas, confirmatasq; ut videtur colligi posse ex titulo harum legum ap. Januszovium. Quid postea circa leges in Poloniâ gestum sit docet nos Cromer: *Legum scriptarum, iniquis, usus fuit nullus apud Polonos vetustioribus temporibus. Nec ulla extant antiquiores iis quas Casimirus Magnus* (non ille, de quo nos supra, sed Casimirus IV. filius Vladislai Jagellonis, qui vixit sec. XV.) *Rex condidit: Quæ sanè paucula sunt. Nec multa iis à filiis ejus Iohanne Alberto & Alexandro adjecta sunt. Extremis demùm ferè temporibus Sigismundi Senioris, & regnante*

gnante filio ejus Sigismundo Augusto magis ac magis exarsit & longius progressus est pruritus & libido novarum legum condendarum, & antiquiorum mutandarum. Quò fit ut hæc prope modum exolegant, nova autem vix ac ne vix quidem inolegant. l. 2. descript. Polon. p. 134. Prima Cromeri verba manifestè contradicunt aliis Cromeri verbis, ex historia ipsius antea à nobis adductis, neq; etiam cum rei veritate conveniunt. Præterquam enim quod inusitatum sit Casimirum IV. Jagellonidem Magni titulo insignire, cum alius fuerit Casimirus seculo XIV. ejus nominis Tertius cui titulus Magni, aut ob staturam, aut ob res præclare gestas fuit attributus: Reperiuntur etiam ante Casimirum Jagellonidem scriptæ leges non tantum Boleslai, ut supra dictum, sed & Ludovici, ipsiusq; Vladislai Jagellonis, ut videre possumus ex legibus collectis à Johanne Lasko, Jacobo Prilufio, Johanne Januszovio, Theodoro Zawacki. Rectius itaq; hæc Cromeri verba leguntur in illâ editione, quæ Cranziil Vandaliæ adjecta est: *Legum scriptarum nullus fuit usus apud Polonos vetustioribus temporibus, nec ulla extant antiquiores is quas Casimirus Magnus Rex condidit (ne nunc quidem vel multa velexquisita sunt) sed unica lex erat Rex sive Princeps.* Hæc ibi. Postrema verba Cromeri antea allegata rectè se habent. Nam & adhuc hodiè singulis in Comitibus Constitutiones scribuntur, & quidem linguâ Polonicâ, idq; constitutum est in Comitibus Anno 1562. cum antea leges scriberentur linguâ latinâ. vid. Theodorum Zawacki. part. 1. Constit. tit. 1. f. 4. Præter constitutiones has, de quibus hæcenus egimus, est etiam in urbibus Polonicis aliquis usus legum Saxonicarum, de cujus origine diversimodè sentiunt scriptores Polonici. Simon Starovolscius ita hæc de re scribit: *Casimirus M. primus ipse urbana plebis jura à vicinis Saxonibus accipere ex facili permisit cum assiduis supplicationibus Germanorū, qui passim tum in Poloniam habitatum lucri causâ veniebant, sollicitaretur, ut si-*
mitem

milem patria sua urbium administrationem haberent, & inter Sarmatas jurium ignaros Consulum & Advocatorum honore advena emerent. Atq; hinc mos invaluit, ut omnes Poloniae civitates in hodiernum diem jure Saxonico (quod vulgo Magdeburgense vocatur) tum plebiscitis qualibet propriis & constitutionibus regis utantur. in descript. Polon. p. 243. Eadem habet & Joach. Pastorius in Floro Polonico in Casimiro M. Confirmari hæc posse videntur autoritate ipsius Sigismundi tertii Regis Poloniae, qui Casimirum Magnum omnium primum Teutonico jure urbes & oppida uti voluisse dicit in tabulis, quibus speculum Saxonicum Jusque Weichbildicum confirmat, quas tabulas citat Herman. Conringius in libro de origine Juris Germanici. c. 31. p. 194. Verum his non possumus assentiri. Altius igitur Conringius originem hujus rei repetit, nempe à Lesco Nigro, qui hoc jus Cracoviensibus concessisse dicitur, propterea quod ab his servatus esset, idq; probat Conringius ex Philippi Decii Antiquitatibus Polonicis. Sed & hæc minus rectè sese habent. Etenim jam ante tempora Lesci Nigri referunt Polonici Scriptores Boleslaum Pudicum Ducem Poloniae jure Saxonico sive Magdeburgensi, quod etiam Sredense & Teutonicum vocant, stabilivisse Cracoviensem urbem. Cromer. l. 9. in fin. Neugebauer l. 3. hist. Polon. p. 161. His ita constitutis, jam quæritur, utrum Principes has leges propriâ sanxerint autoritate, an verò ex consilio Procerum? Primis temporibus Principes absolutè jura & leges populo dedisse, colligitur ex Cromeri l. 2. hist. fol. 419. & Neugebauer. l. 2. H.P. in Lecho. Postquam Reges Poloniae Christianam religionem suscepissent, leges jam ex consilio procerum posuisse dicuntur. De Casimiro Iusto Boleslai Crivousti filio, qui vixit sub finem Sec. XII. illud refert Dlugossus. lib. 6. Hist. Polon. fol. 484. seq. De Boleslao Pudico idem asserit Neugebauer lib. 3. p. 137. Idem observarunt & alii Reges, qui non nisi in Comitibus communi

Prala.

Praelatorum, Baronum, & Nunciorum terrestrium consensu leges correxerunt, & novas sanxerunt, ut testatur ipse Sigismundus I. Rex Polon. Anno 1570. Bidgostia, apud Herburtum in Statuto Regni Polon. sub tit. Lex. fol. 263. Loquitur autem Sigismundus Rex de predecessoribus suis proximis, cum Nunciis terrestres tantum sub Casimiro IV. Jagellonide Comitia coeperint frequentare, ut suo loco dicitur. Tandem Sigismundus III. Rex lege Anno 1588. Crocoviæ latâ sanxit, ut Constitutiones in Comitiiis unanimi Ordinū omnium consensu factæ, subscribantur prius per Deputatos ex Senatoribus & Nunciis Terrestribus, deinde ut coram Rege & Senatu legantur, cum interrogatione expressâ, utrum Rex, Senatus, & Nunciis terrestres illas jubeant sigillo muniri. ap. Joan. Janusov. l. 1. Constit. Part. IV. tit. 2. fol. 144. Confer. & tit. 3. ubi omnes Constitutiones singulis Regibus usque ad tempora Sigismundi III. latæ breviter indicantur. Constat itaq; ex dictis Reges Poloniae leges hoc tempore non nisi cum consensu Senatus & Nunciorum terrestrium ferre.

VI. Legum condendarum Potestati subjungimus *JUDICIA* sive *jurisdictionem sine provocatione*. *Judicia* verò antiquitus procul dubio exercebantur, ex absoluto Principis arbitrio, imò ipse Princeps controversias subditorum dirimebat. *Lechus*, ait *Cromer. jus dabat populo equabile, non ex prescripto legum, quæ nulla erant, sed ex arbitrio suo, h. e. equo & bono. l. 2. Rerum Polon. fol. 419. Cum verò Princeps tot litibus decidendis solus non sufficeret, dicitur Cracus privatarum controversiarum iudices per loca constituisse. Cromer. l. 2. rerum. Polon. fol. 421. & Neugebauer. l. 2. H. P. p. 42. Sub Boleslao Chrobri jus ex equo & bono dicebatur, aliquando etiam controversiæ singulari certamine dirimebantur. Cromer. l. 3. fol. 444. quod etiam apud antiquos Sarmatas in usu fuisse testatur Alex. Gvagyin. in Sarmatiâ Europæâ Tom. 1. in corpore hist. Polon*

fol. 25. fin. Quamvis verò plura fuerint privatarum causarum
judicia à Rege instituta, reservavit tamen sibi Rex judicia illa,
quæ sequentibus temporibus *Colloquia generalia* sive *termini
generales* (quod judiciorum genus dicitur Polonicè *Wieca*) di-
cebantur. His judiciis ipse Rex præsidebat. Habebantur autem
olim in pratis sub Papilionibus secundum morem antiquum.
Cromer. l. 4. fol. 460. Neugebauer. l. 3. pag. 68. In Comitibus
quoq; judicia exercuerunt Reges, ut patet exemplo Mięcislai
Senis, quem Gedcon Episcopus Cracov. propria sententiâ se
condemnasit in Senatu egregio commento ostendit. vid. Neu-
gebauer. l. 3. p. 110. seq. Sed de his fusius differendi alibi
dabitur locus. Jam notasse sufficiat, habuisse olim Reges *ab-
solutam judiciorum potestatem*, quod ex multorum Magna-
tum suppliciis colligere licet. De *Bolesła* Castellano Vlnensi
vid. Neugebauer. l. 3. p. 109. De *Scarbimiro* Palatino Cra-
coviensi. Neugebauer. l. 3. p. 89. De *Matthia Borkovio* Pala-
tino Posnaniensi ejusq; fratre. Neugebauer. l. 3. p. 205. seq. Sed
postea multum de suo jure remiserunt Reges hoc privilegio
Nobilibus dato. *Ne nobilem prehendere, aut carceri manci-
pare liceret nisi jure victum, exceptis quibusdam gravioribus
causis.* Quod privilegium Uladislav Jagello Anno 1430.
Nobilitati concessit. vid. Cromer. l. 19. fol. 685. & privilegia
Regni Poloniae à Jano Januszovio edita fol. 17. Institueba-
tur tamen ultima provocatio ad judicia Regia, & post tem-
pora Jagellonis. Cùm autem tot judiciis Rex distineretur, ut
etiam aliquando Henricus I. dixerit: *Per meam fidem, Poloni isti
faciunt ut agam judicem jurisperitum, in brevi volent ut agam
etiam causidicum.* teste Piasec. in Chron. f. 50. fin. Igitur *Stepha-
nus Bathori* successor Henrici hæc judicia ab humeris suis devol-
vit, summis *Tribunalibus* in Regno & magno Ducatu Lithvan.
constitutis, solasq; lites fisci Regii, Civitatũq; Regi directe sub-
jectarum judicio suo Aulico reservavit. Licet autem in Tribuna-
li no-

li nomine Regio judicia exerceantur, & quædam etiam cau-
sæ ad Comitiam rejiciantur, nihilominus cum in Tribunali non
Rex sed Nobilitas constituat judicii Assessores, ejusque Præsi-
dem, sive, ut ipsi vocant, Mareschalcum, in Comitibus etiam non
solus Rex illas causas à Tribunalibus eo rejectas aliasq; crimi-
num atrociorum solis Comitibus reservatas, decidat, multum
jam de potestate judiciaria Reges remisisse videmus. *Judicia*
quoq; nova in diversis locis non nisi ad instantiam Ordinum
vel consentientibus Ordinibus constitui possunt. Vid. Januszov.
l. 3. Const. Regn. Polon. Part. 4. Tit. 1. fol. 427.

VII. *Jus ARMORUM* sive *BELLUM GERENDI* potestatem
habuisse primos Polonorum Duces & Reges, non est quod du-
bitemus. Neque hoc aliter esse potuit. Cum enim Poloni
barbaris Nationibus undiq; essent cincti, sæpiusq; necessarium
fuerit contra subitas hostium irruptiones sine ullâ morâ copias
colligere, non potuit sanè res hæc ad Senatum semper referri.
Imò adhuc sec. XIV. Ludovicus Rex videtur jus illud armorum
habuisse integrum. Nam cum in Privilegio de Anno 1374.
multas immunitates Nobilitati Polonicæ concessas enumeras-
set, addit postea: *Hoc tamen expresso: Quod si insultus hostium*
in dictum regnum invalesceret: tunc Nobiles ipsius regni, ad
repellendam eorum savitiam occurrant cum omnimodâ eorum
potestate. ap. Januszov. inter Privileg. Polon. fol. 5. Eâdem
ratione Wladislaus Jagello aliquoties loquitur de bello in pri-
vilegiis suis, nullibi tamen consensum Senatus ad hoc requirit:
Tandem Casimirus IV. Jagellonis filius. Anno 1454. promisit,
se nullum bellum unquam indicturum sine consensu Senatus.
Joannes Januszovius l. 6, tit. 1. fol. 691. Sufficiebat autem tum
consensus Senatus: postquam verò Nuncii Terrestres mitti
cœperunt ad Comitiam generalia ex singulis Palatinatibus, etiam
hoc fuit concessum à *Johanne Alberto* Rege, ut conventus par-
ticulares Nobilitatis haberentur, antequam bellum suscipiatur.

Anno 1496. Januszovius. l. c. fol. 691. seq. quod confirmat
Sigismundus III. Anno 1613. §. Statuta dawne. Ubi nullus
prorsus bellum nulloq; prætenu se gesturum promittit, nisi id
prius proponatur in Conventibus particularibus. Ita habetur
in Capitulatione Uladislai IV, quæ habetur inter Acta Electio-
nis. Anno 1632. edita fol. 13. Exciipiuntur tamen hic *inopina-
ta hostium irruptiones* & subitanei impetus, quos Rex *consultis
presentibus Senatoribus* depellere & subsidia huic rei necessaria
conquirere potest, ut est in Constitutionib. An. 1611. & 1613,
quod & antea iam exceperat Sigismundus I. Anno 1527. vide
has Constit. ap. Theodor. Zawacki. part. 1. Const. tit. 1. fol. 2.
& tit. 5. fol. 37. Porro nulla se Rex auxilia in Regnum ad-
ducturum promittit sine Senatus & Nobilitatis consensu Ca-
pitul. Stephani Regis. apud Andr. Maximil. Fredronem in hi-
storiâ Henrici I. p. 235. & Januszov. in lib. Privileg. fol. 109.
Confer Capitulationem Uladislai IV. l. c. Præterea nemini
Rex Stipendiarium militem mittit in subsidium, nisi hoc fiat
Ordinum permissu, ut habet Capitulatio Stephani Regis. l. c.
Hinc Poloni maximè indignabantur, cum Sigismundus III. Im-
peratori Germanico. Anno 1624. auxilia misisset Ordinibus in-
consultis, aut autor est Piasecius in Chron. fol. 439. & fol. 601.
Hæc omnia confirmantur in recentiorum Regum Capitulatio-
nibus. vid. Artic. Pactorum Conventorum inter Regem *Micha-
elem* & Ordines. §. *Woysk Cudzoziemskich*. Et pacta conven-
ta moderni Regis Serenissimi *Iohannis III.* ubi Oeconomia
bellica secundum Constitutiones *Vladislai IV.* & *Iohannis Ca-
simiri* conservari jubetur. FOEDERA PANGENDI Jus juri Belli-
gerandi conjungimus. Potest autem Rex foedera pangere, ita ut
tüm valida sint, si ab Ordinibus confirmantur. vid. Paulum Piase-
cium in Chron. fol. 488. Confer & Constit. Sigismundi III.
Anno 1588. quod jam tempore Casimiri Magni fuisse aliquo
modo in usu colligimus ex eo, quod Cruciferi Confirmatio-
nem

nam pactorum postulabant à Casimiro M. Rege, Senatu, Nobilitate & Civitatibus. Negebaur. l. 3. p. 198. Confer & Constit. Johannis Casimiri Regis in Comitibus coronationis tit. *Pacta & postronnemi.* Ejusmodi confirmationes pactorum, vid. in Constitut. Anni 1658. non longè à princip.

VIII. **TRIBUTA** imponendi potestatem, jam Rex Poloniae Ordinibus communicavit. De antiquis temporibus sequentia habet Cromerus. *Pensitabant, inquit, ei omnes agrestes adscripti quotannis tributum, poradlne, quod nos rastrale dicere possumus (regale etiam vocatur) in jugerum, seu lanoum & mansum, ut vulgo vocant, duodenos grossos, & quidem latos seu Pragenses, qui dimidio eos, qui nunc sunt in usu grossos vernaculos excedunt, quin si bonitatem & pondus argenti spectes, quadruplo. Pensitabant & alias quasdam cum nummarias tum pecuarias, frumentarias, avenarias & aliarum rerum pensiones. Nec modò agricola, sed & oppidani. Quin & equites sive milites non penitus immunes erant. Et jumenta hi ei quacunq; iter faciebat alii secundum alios suppeditabant, & canes cum venatoribus ejus alere necesse habebant. Ne monastica quidem & alia Ecclesiastica bona initio prorsus erant libera ab hujusmodi oneribus & tributis.* in descript. Polon. l. 2. p. 128. Ab his oneribus liberata sunt prius bona Ecclesiastica, donec tandem *Ludovicus*, cum esset à *Casimiro M.* Rex Poloniae designatus omnem Nobilitatem cum eorundem adscriptiis à tributo illo *poradlne*, (quod etiam in antiquis privilegiis nominatur *Krolestwo* i. e. regnum) sive à pensione duodecim grossorum liberavit, duos tantum grossos in signum summi domini & recognitionem Coronae Regni Poloniae de manso sive Lanouo pactus. Anno 1374. vid. Privileg. ipsum ap. Joann. Januszovium. fol. 4. in lib. Privil. Confer. Neugebaur. l. 3. Hist. Polon. p. 204. A solutione illâ duorum grossorum Palatinos & Castellanos exemit *Sigismundus I.* Anno 1507. *Ve-*

*Et igitur avena remisit terræ Cujaviensi & Dobrinenfi, itemque
Rusfiæ Uladislauſ Jagello Anno 1433. vid. Januizov. l. 4.
Conſtit. part. 1. tit. 7. fol. 319. ſeq. Igitur tempore Henrici
Primi Regis ordinarii Reditus ex bonis, ut Poloni vocant,
menſæ regiæ, aſcendebant ad tertium florenorum millionem,
ut teſtatur Konarſcius Episc. Poſnaniensis ad eundem Heinri-
cum in Gallia verba faciens, apud Fredronem p. 96. Paulus
autem Piaſecius Regis proventus magnos eſſe deprædicat,
quando ait: *Fiscus Regius abundè ad omnes ſumptus aula Re-
giæ perquam magnificos ſplendori cuiusvis opulentissimi in Eu-
ropâ Regis æquales ſufficit & ad munificentiam quantumvis
excelsi animi Principe dignam. Nec aliundè niſi ex iſtò cenſu
fisci proprii Rex Polonia liberalitatem exercet penè profuſam in
tantum quod in tam vaſtò imperio & populorum multitudine
pauciſſimi ſunt ex Nobilioribus & militantibus melioris notæ
qui non participant ex gratiâ Regis aliqua emolumenta ſisci Re-
gii & pleriq; tam ampla ut inde opes non mediocres comparent.
Integras enim ſisci ſui præfecturas civitatum & poſſeſſiones
opulentiffimas cum earum fructibus uniuerſis Rex concedit, &
ſepè uni plures, ut non rari ſint, qui plus quam ducenta millia
florenorum in annuis fructibus dum vivunt ex huiusmodi do-
nationibus Regiis percipiunt, ac etiam ad hæredes uſum fructum
earundem Rege conſentiente tranſmittunt. Hæc & alia Piaſ-
ſecius in Chron. fol. 58. ſeqq. Cùm tamen hi ſumptus ad bel-
la gerenda non ſufficiant, creberrimè quidem dabantur à tem-
poribus Uladislai Jagellonis contributiones ab omnibus Ordi-
nibus, quas tamen Rex precario tantum obtinebat, ut ex Cro-
meri & Neugebaueri locis quam plurimis patet. Hodiè Rex
bella, Reipubl. conſenſu decreta, propriis ſumptibus gerere
non tenetur, ſed in Comitibus, quotieſcunq; bellum legiti-
mum gerendum eſt, contributiones ſciſcuntur, ut patet ex
Conſtitutionibus ſingulorum ferè Comitiorum. vid. & Andr.
Maximil**

Maximil. Fredro l. c. Varia autem sunt contributionum & vectigalium genera apud Polonos. de quibus Neugebaur. l. 1. hist. Pol. Cromer. in descript. Pol. l. 2. pag. 129. Sunt autem in oppidis, pro *fundis adium*, quæ à Germanis dicuntur *Feuer & Gelder*. *Pontalia*, *Foralia*, *Aggeralia*. *Vectigalia de cerefiâ & vinô*, quæ Polonicè dicuntur *Czopowe*. *Fumalia* sive *Poradine*. Præcipuâ sunt *Donativum* & *Capitatio*. Sed An. 1629. aliud genus *fumalis collectæ* (*Podymne* dicitur) fuit institutum, contra *Svecum*, dimidii floreni communis à singulis domibus tam civitatum quam pagorum & villarum, curiis nobilium & Ecclesiasticorum exceptis, quæ quadruplum usitari tributi agrarii equavit. Piasec. in Chron. fol. 484.

IX. Pergimus ad *MONETÆ CUDENDÆ Jus*. Olim Poloni procul dubio permutatione rerum utebantur, sicut & aliæ gentes apud Arist. l. 1. Pol. c. 6. & l. 5. Ethicorum. c. 8. Testatur id de Polonis Gvaginus in hist. Pol. in Venceslao Rege in corp. hist. Polon. Tom. II. fol. 354. Qui etiam refert postea Polonos *frustulis quibusdam argenti, pellibusq; Aspreolorum sibi res necessarias comparasse. l. c.* Indè etiam originem traxisse puto illas leges antiquas, quæ, quando pœnas irrogant, pelles *hermelinas* & *mustelinas* dare jubent iudici, quâ de re sic loquitur Casimirus M. *Cum aliquis arguit sententiam Castellani Cracoviensis, tunc pelliceam hermelinam, alias Gronostaiowy, Castellanis autem Sendomiriensi & Lublinensi pelliceas mustelinas. Iudicibus autem Cracoviensi & Sendomiriensi pelliceas mardurinas, subducibus vulpinas dare teneatur.* An. 1368. apud Januszov. lib. 5. Constit. Part. 3. tit. 1. fol. 425. Sic etiam in Lithvaniâ nullam fuisse pecuniam inde discimus: *Cum Vladislai Lasconogi tempore sub fin. Sec. XI. Lithvani, gens fera & Sylvestris & obscura, Russorum agros pradis infestaret, & à Russis postea victa esset, iussa est subera, restes, & fasces frondeos quibus in balneis sudorem provocare solebat, tributi nomine*

mine deinceps pendere. Neugebaur. l. 3. hist. Polon. in Vladislao Lasconogo. Deinde *Wenceslaus Rex* primus argenteam monetam grossos videlicet Bohemicos in Poloniam invexisse dicitur. Gvagin. l. c. Ex Polonis autem *Casimirus M.* primus more Bohemorum zs & argentum signari iussisse, aureos verò nummos *Sigismundus I.* demùm signasse ferrur, Tametsi *Alexandri Regis* aureus nummus visus sit. ut scribunt. Neugeb. l. 1. H. P. p. 17, & *Sim. Starovolscius* in Poloniâ. p. 270. Verùm hæc non conveniunt cum illis, quæ ante tempora *Casimiri M.* & *Wenceslai Regum* feruntur de *Vladislao Sputatore*, qui circa Annum 1232. Archiepiscopo Gnesnensi & Episcopo Posnaniensi potestatem fecit monetam cudendi, ut autor est *Cromerus* l. 8. Pol. rer. non procul ab initio fol. 533. & *Neugebaur.* l. 3. hist. Pol. in *Boleslao Pudico* p. 135. Ante *Cromerum* & *Neugebauerum* eadem scripsit & *Johan. Dlugossus* ad dict. an. Tom. I. l. 6. fol. 581. Quidquid autem hujus rei sit, hoc certum est, si pecuniam habuerunt antiquitus Poloni, fuit eam cudendi potestas penes Regem, & cui eam potestatem Rex speciali Privilegio concedebat, ut ex II. cc. apparet. Posthæc *Vladislavus Jagello* promisit an. 1422. in Privileg. (quod habetur ap. *Januszow.* lib. Privil. & Interregn. fol. 8.) *Se nullam pecuniam signari jussurum nisi de consensu Consiliariorum.* Eadem habentur & in alio Privilegio, ubi hæc verba reperiuntur. *Item promittimus pro inclytis filiis nostris prædictis; quod postquam, dante Domino unus illorum in Regem electus, sceptrum Regni Polonia amplecteretur, monetam ex quocunq; genere metalli, absq; consensu & consilio speciali Prælatorum & Baronum in Regno Polonia cudere non permittet, quemadmodum nos sine ipsorum consensu & consilio hujusmodi monetam cudere noluimus, neq; eudimus.* In Privileg. III. *Uladislai Jagell.* apud *Januszov.* l. c. fol. 15. Confirmavit hoc *Sigismundus Augustus* Anno 1550. apud *Januszov.* lib. 4. Const. Part. 1. tit. 12. fol. 371. Sed hoc

NOB

non fuisse sequentibus temporibus observatum, constat ex Oratione Adami Konarski Episcopi Plocensis ad Henricum I. Regem, in qua *jus cudendæ monetae ab unius Regis voluntate dependere* dicit ap. Fredron. in hist. Henrici I. pag. 97. donec tandem antiqua illa lex à *Sigismundo III.* renovaretur An. 1632. Vid. Capitulat. Uladislai IV. quæ habetur inter Acta Electionis Uladislai Anno 1632. edita fol. 13. *§. 12 za smiercia.* Causam hujus legis reperimus sequentem: Cum Respublica Sigismundi III. Regis liberis liberaliter prospexisset, ideo gratitudinis ergo Rex cessit Reipubl. jus cudendæ monetae, ut habetur apud Stanisl. à Kobierzycko Castell. Gedan. lib. 11. de Rebus gestis Uladislai Principis. p. 940. Piasec. ad An. 1632. fol. 525. Hinc etiam in Capitulatione Michaelis Regis *materia de cudendâ moneta non nisi in Generalibus Comitibus tractari jubetur.* Vid. *§. 12 za Abdicatia.* Idem habetur in Capitulatione moderni Regis Sereniss. Johannis III. *§. 12 Provent.* Porro *abrogatio monetae peregrinae & adulterinae* competebat Regi tempore Sigismundi I. cum consensu tamen Senatûs, ut colligere licet ex Constit. An. 1527. ubi monetam Svidnicensem cum universo Senatu proscribit apud Januszov. l. c. fol. 372. Tandem *Concessio juris cudendæ monetae*, licet antiquitus fuerit in solius Principis potestate, Casimirus tamen IV. Jagellonides, cum ad ipsum Prussia defecisset, jam non nisi cum consensu Senatûs concessit jus illud monetae cum imagine Regia cudendæ *Thoruniensibus, Elbingensibus, Gedanensibus & Regiomontanis*, bello manente. Finito verò bello ut Thorunii modo & Gedani nomine Regio sumptuq; ea signaretur. Neug lib. 6. hist. Polon. p. 339. Hodie sine dubiò jus hoc concedendi potestatem monetae cudendæ non nisi ad Comitiam Regni universaliam pertinet.

X. Quod jus CONFERENDORUM MAGISTRATUUM CONCERNIT, illud Regibus Poloniae adhuc hodiè integrum fere competit. Rex, ait Piasec. in Chron. fol. 59. *supremus merito-*

C

rum

rum & virtutum cuiusq; arbiter omnes in Republ. Magistratum, officiorum titulos qui sunt innumeri ac plurimi potestatis eminentia sublimes solus confert. Ecclesiastici quoq; Episcopatus, qui in illò Regno sunt opulentiores Abbacias & alios dignitatum in Ecclesiis Pontificalibus potiores gradus non nisi favore Regis adeunt. H. I. Conf. Cromer. in Descript. Polon. l. 2. p. 171. Fredro in hist. Henr. l. p. 97. præsertim verò Stanislaus Lubienski in monitis de Episcopatu rectè gerendo num. 53. seqq. & num. 64. seq. & alii. Antiquitus quidem plerumque Episcopi à Pontifice Rom. in Poloniam fuerunt missi, quos statim Rex in Senatum admisisse dicitur. Sed postquam Religio Christiana jam esset longè lateq; per hoc Regnum propagata, & homines haberi possent ex Poloniâ, ad hæc munera obeunda, satis idonei, nolebant Capitula sibi exterum aliquem à Pontifice Romano obtrudi, ideoq; cum consensu Regum è Capitulo suo Episcopum eligebant. Consensus verò Principum in Episcopis eligendis fuit requisitus, ideò, quia Princeps in Senatum quoslibet recipere noluit, qui ipsi non placebant, præsertim sub Casimiro IV. Jagellonide, qui Sacerdotibus iniquior fuisse memoratur, adeò, ut tum primùm vim liberæ Electioni Episcoporum illatam fuisse, referant Historici: Videatur Neugeb. l. 6. p. 368. Jam vix umbra Electionis penes Capitula conspicitur. Unde à Rege Sigismundo III. Andreas Barthoreus Cardinalis creatus est Episcopus Warmiensis, frustra reclamante collegio Pontificali Warmiensi. Hujus enim liberæ Electioni opponebantur Regis jura assumendi in Senatum, quem ex dignitate magis idoneum judicaret. Piascc. ad An. 1589. fol. 91. Hujus rei exempla plura extant in Joan. Dlugossi libro de Episcopis Posnaniensibus. Item Stanislai Lubienscii de Episcopis Plo censibus & aliis. Tentarunt quidem non ita pridem nonnulli, hanc Regis, in conferendis Magistratibus, potestatem imminuere, sed irritò conatu. Cum enim

enim Michael Dux Visnioviecius in Regem Poloniae esset electus, voluerunt quidam ut Palatinatus cuiusque Nobilitas in conventibus quatuor Candidatos nominaret, Senatorum in Comitibus regni generalibus pluralitas votorum definirer, cui Princeps dignitatem Satrapiae aut quamcumque aliam conferre deberet. ait Casim. Zawacki in tractatu de Electione Regis Michaelis, cui titulum fecit: Gloria Orbi Sarmatico consensu monstrata &c. Lit. E. 3. Sed addit ibidem. *Utile id in publicum, honestum qua privatim, firmanda Reipublica eximum Aristocratie arcanum, paucorum dissensu, aut malevolentia seu potius libidine assentationis dum presentia conducerent modicam imposterum aut nullam afferendam libertatis curam irritum fuit.* Et postea idem Zawacki refert quosdam voluisse, ne Rex suprema officia sigillorum Regni, Praefectarum Exercitus, cuiuscumque conferre praesumeret sine expresso in Comitibus Regni Generalibus Reipubl. iudicio & assensu. Sed addit: *Contraventione (status hic) nimio aula favori litantium suppressus est, non sine dolore bonorum civium nullis affectibus obnoxiorum.* Lit. F. Ex quibus manifestum est Regem Poloniae Magistratus adhuc hodie creare, etiam sine consensu Senatûs. Quamvis de Cancellariis Piascius referat, Regem eos solum creare non posse, nisi id fiat de consilio Senatûs. Piascius in Chron. ad An. 1617. fol. 438. Idem habet Author vitae Petri Kmitae, quae adiecta est Annalibus Stanislai Orichovii p. 226. Similia occurrunt in Theatr. Europ. Tom. IV. fol. 66. ubi refertur, Polonos Illustris. Principem Georgium Ossolinum noluisse Cancellarium agnoscere, quod, ut dicebant, se ipsum in seipsis Nunciis Provincialibus in Cancellarium elegerat. Quamvis verò in Polonia ius conferendorum Magistratum sit penes Regem solum, est tamen haec potestas in quibusdam limitata. Et quidem primò in hoc, quod Magistratum non possit Rex conferre nisi Nobilibus indigenis, & quidem bona terrestria sive agros possidentibus

bus in illo Palatinatu, ubi Magistratu suo fungi debent. Prius illud de plebeis & extraneis ad dignitates sive Magistratus Regni non admittendis urgetur etiam in recentissimis Constitutionibus. Vid. Capitul. Regis Michaelis §. *Totez &c.* & §. *Cudzoziemcow ani &c.* & Capitul. Regis Johannis III. §. *Dignitarstwa y urzedi.* Posterius illud de iis tantum ad dignitates promovendis qui bona terrestria possident in eò districtu ubi officio suo fungi debent extenditur ad omnes in universum Magistratus, ut Episcopatus, Palatinatus, Castellanus, Capitaneatus, aliasq; dignitates judicum, subjudicum, Notariorum tam terrestrium, quam Castrensiū, ut exigunt Constitutiones Jagellonis, Casimiri IV. aliorumq; Regum, apud Januszovium lib. 3. Constit. Part. 5. tit. 1. Imò jam tempore Ludovici Regis Ottonem Piłecium volebat Nobilitas Præfecturâ majoris Poloniæ privari, propterea, quod nullas possessiones in majori Poloniâ haberet, atq; ita contra leges Præfecturâ obtineret. Crom. lib. 3. f. 615. Neugeb. lib. 4. p. 214. Propter eandem causam Lithvani noluerunt Bernhardum Maciejovium ad Episcopatum Wilnensem, quia non fuit Lithvanus, nec habuit in Lithvaniâ possessiones suas, sed fuit Polonus. Et cum ipsis objiceretur quod paulò antè Georgius Radzivilius Lithvanus ad Episcopatum Cracoviensem in Poloniâ minore vocatus esset, Lithvani se suo jure, non aliorum exemplis niti responderunt, quo etiam approbato Sigismundus III. constituit, *ne similes dignitates in Lithuania nisi natis Lithvanis conferrentur*, h. e. qui jam in Lithuania sua bona terrestria possidebant, antequam dignitatem illam adipiscerentur, apud Piasec. ad An. 1598. Secundò potestas Regia circa Magistratus conferendos est etiam quoad tenus limitata in hoc, quod non possit officia Regni vel aulae suæ, vel districtuum minuere nec augere, ut habet Constitutio Sigismundi Augusti, de Anno 1550. & Stephani Regis de Anno 1576. §. *urzedi koronne.* Idem volunt Pacta conventa sive capi-

Capitulatio Sereniss. Regis Johannis III. §. *Dignitarum*. Imò jam Sec. XIV. Ludovicus Rex Poloniae & Ungariae juravit se omnes dignitates & omnia officia velle in eorum juribus, prout antea fuerunt conservare An. 1374. apud Januszov. l. 3. Constit. Part. 5. tit. 1. quod confirmavit Uladislavus Jagello l. c. fol. 298. Et cum hoc Seculo An. 1616. Sigismundus III. Rex mortuo *Andrea Bobola Cubiculi Regii Praefecto* nollet alium in ejus locum officio surrogare (*Praestat hoc ceteris majoribus magistratibus familiaritate Regis*) lege demum adactus, qua ejusmodi officia supprimi vetat, tandem alium suffecit. Piasec. ad dict. an. fol. 359. Huc etiam pertinet, quod Rex collatum alicui Magistratum abrogare non possit sine consensu Ordinum. Piasec. fol. 59. *Tertio* in hoc quoq; hæc Regis potestas est aliquantulum restricta, quod omnia officia vacantia intra *sex* septimanas lege teneatur in alios transferre, & hoc extra Comitiam: Si verò paulò antè Comitiam vel etiam tempore Comitiorum aliquis Dignitariorum mortuus fuerit, tum Marschalcus Nunciorum Terrestrium statim post factam in Comitibus Propositionem, & deinceps, Regem sollicitare tenetur, ut dignitates vacantes, aliis conferat. Vid. Capitulatio Uladislavus IV. f. 14. §. *wakancie extra tempus Comitiorum*. Capitulatio Regis Michaelis §. *eodem*. Capitulatio Johannis III. §. *eodem*. *Quarto* Rex etiam lege latâ promisit, se nunquam dignitates Regni v. g. Episcopatus, Palatinatus, Castellanus, Capitaneatus, filiis aut nepotibus suis, aliisque ex stirpe Ducali sive Regia oriundis collaturum. Vid. Const. Uladislavus Jagellonis An. 1433. quod & ante ipsum jam promiserat Ludovicus Rex An. 1374. Conf. Piasec. fol. 524. fin. Fredro in Hist. Henrici I. p. 230. & alii. Causam hujus rei Piasecius assignat hanc, ne ejusmodi Principes vim inferre possint liberæ Electioni. in Chron. fol. 439. *Quinto* restricta etiam est Regis potestas in eò, quod non liceat ipsi in unam personam cumulare plures Dignitates majoris momenti,

ita Marschalei & Thesaurarii non possunt simul esse Palatini aut Castellani, ex Constit. Sigism. Augusti An. 1565. apud Janusz. l. 3. Constit. Regni fol. 304. Item Cancellarii & Vice-Cancellarii, si consecuti fuerint Archiepiscopatum Gnesnensem, Episcopatum Cracoviensem, Uladislaviensem, Posnaniensem, Warmiensem, vel Plocensem, vel etiam Palatinatum, aut Castellatum, tum coguntur renunciare officio Cancellarii, ex Constit. Alexandri Regis An. 1504. apud Januszov. lib. 3. Constit. Part. 3. tit. 1. fol. 287. Quod etiam haecenus strictè observatur. Vid. Piascc. ad An. 1613. fol. 338. ad An. 1617. fol. 367. seq. ad An. 1624. fol. 439. ad An. 1627. fol. 469. ad An. 1633. fol. 470. & 574. Cum tamen alter Cancellariorum in Regno Poloniae debeat esse ex Ordine Ecclesiastico ex Constit. Sigismundi I. de An. 1507. (quam Cromerus vocat legem non adeò antiquam, cum antea soli Sacerdotes hoc munere fungerentur, in Descript. Polon. l. 2. pag. 146.) Ideò dignitas Cancellarii confertur Episcopis inferioribus, ut Culmeusi, Præmisiensi & aliis. Non ita pridem etiam constitutum est, ne dignitas Ducis Exercituum conferatur Marschalci Regni vel M. Duc. Lithv. In Interregno post spontaneam abdicationem Johannis Casimiri inter incompatibilia à quibusdam numerabatur officium Vice-Cancellarii cum Campiducatori clavâ, sive officio Ducis Exercituum Campestris, apud Zawacki in tract. de Electione Regis Michaelis. *Ad extremum* hoc de Magistratibus notandum est, quod alter alteri dignitatem vel officium suum vendere possit, si Rex consentiat, ut factum est An. 1668. cum Krasinius Thesaurarius Regni officium suum venderet Illustri Johanni Andreæ in Racibor Morstinio Referendario Regni nongentis aureis, Diar. Europ. Contin. XVIII. pag. 428.

XI. Ex his satis superq; constat magnam esse Regis Poloniae potestatem in conferendis Magistratibus, tam Secularibus quam

quam Ecclesiasticis. Quod autem & alias dignitates sive titulos Ducum, Comitum & Baronum possit conferre, de sententia tamen Ordinum, non videtur esse dubium. Exempla horum sunt in promptu. Ut enim de Sereniss. *Alberto Marchione Brandenburgico* nihil dicam, qui Dux Prussiae à Sigismundo I. renunciatus est. An. 1525. Thuan. lib. 1. hist. post. med. fol. 19. Neugeb. l. 7. p. 508. Certè Sigismundus Augustus Rex *Gotthardum Ketlerum* primum *Curlandiae Ducem* creavit. Thuan. lib. 28. post. med. fol. 572. seq. Neugeb. l. 8. p. 604. Albertus *Wijuk Cojalowicz* Part. 2. hist. Lithv. lib. 8. ad An. 1564. d. 449. Sed jam quod Rex Poloniae inter suos subditos nullos creet *Duces, Comites & Barones*, obstat Polonicae Nobilitatis aequalitas, quâ freti Poloni, praesertim Nuncii Terrestres nunquam Regi concederent, tales dignitates haereditarias in quasdam familias conferre. Sed dabitur alius hâc de re agendi locus. *Jura Nobilitatis* Rex hodiè confert non nisi cum consensu omnium Ordinum, quod etiam intelligendum est de concessione *juris Indigenatus*. Imò cum antea sufficeret in Comitibus jura Nobilitatis & indigenatus petere, constitutum est Anno 1601. à Sigismundo III. ne quis in posterum indigenatum acciperet, nisi qui hoc petierit in Comitibus Particularibus, Comitibus generalia praecedentibus. Vid. Zawacki Part. 1. Constit. tit. 8. fol. 49. seqq. ubi plurima exempla hâc de re occurrunt. Sed hâc hodiè non observantur. Elucescit illud ex Constitutionibus de An. 1673. ubi quamplures jura Nobilitatis & Indigenatus consecuti sunt, partim commendantibus ipsos Nunciis terrestribus, partim Ducibus Exercituum, partim etiam ipsò Rege illud urgente. Serenissimus etiam Johannes III. promittit, se nemini jura Nobilitatis vel Indigenatus concessurum nisi fuerit ab Ordinibus Regni & M. Duc. Lithv. vel etiam à Ducibus Exercituum utriusq; gentis, commendatus. In *Partis Conventis S. Cudzoziemcow.*

XII. Por-

XII. Porro **JUS LEGATOS MITTENDI** habuisse Reges Poloniae primis temporibus non est quod dubitemus, posterioribus demum seculis hic sibi potestatem aliquam arrogare coeperunt Ordines Regni Polonici. Colligere id possumus ex invectivâ Petri Tomitij Episcopi Cracoviensis sub Sigismundo I. Cancellarii Regni, in Nuncios terrestres, qui de mittendis ad externos Legatis eorumq; mandatis volebant sibi nescio quam usurpare potestatem: *Quid, ait ille, in Cancellariorum munera vos ingeritis? & cur, quod non amplius, quam ne quid in Rep. sine vobis decernatur novi, vestra se extendant partes, non meministis?* apud Christoph. Warsevicium in tract. de Optimo Statu Libertatis pag. 82. Post illa verò tempora penes Regem mansit electio futuri Legati, quem eligit non nisi ex Nobilitate Polonica vel Lithvanica. Instructio Legatis data inter Senatus Consulta scribitur, publicèq; in Comitibus generalibus legitur. Legati quoq; exteris ab oris reversi Relationem in Scripto reddunt in Comitibus. Postulantibus etiam Ordinibus Legatus jurare tenetur, quod cum exteris Principibus nihil extra suam egerit instructionem. Vid. Capitulatio Joannis Regis. *S. Ta tez Waruemy.*

XIII. Verum ne multi simus, in his enumerandis, reliqua breviter percurremus. **JUS VENATIONUM** olim penes solos Reges erat. Teste Cromero l. 8. in Miecisl. Sen. fol. 504. Neugeb. lib. 3. p. 110. & quidem ne in proprio quidem fundo quisquam habuit hoc jus, præter solum Regem, ut habet Cromer. l. 2. Descript. Pol. p. 129. *Vladislaus* verò *Sputator* Dux Polon. Archiepiscopo Gnesnensi & Episcopo Posnaniensi primus concessit jus venandi in Sylvis & in bonis Ecclesiarum suarum. Crom. l. 8. in Boleslao Pudico fol. 533. Postea aliis etiam hoc jus communicatum esse videtur, ad eò ut tempore *Uladisla Jagellonis* licitæ fuerint venationes omnibus, ut ex illius Regis Constitutionibus hæc de re An. 1423. latis colligere licet. Quam-

Quamvis circa Catulos vulpecularum aliud constitutum sit à Sigismundo Augusto An. 1557. *Catulos vulpium nemo ex nidis tollere audeat, apud quem reperti fuerint, pœna decem marcarum puniatur: itemq; catuli liberè in sylvam dimitti debent.* Vid. Januszov. lib. 9. Const. Part. 3. tit. 4. fol. 1109. & Theod. Zawacki Part. 4. Constit. tit. 22. Hodie venationes in Poloniâ omnibus licitæ sunt. Deinde Rex etiam Poloniæ Sigillum penes se non habet, sed literis suis ad externos Reges scriptis publicum Regni Sigillum per Cancellarium & Vice-Cancellarium Regni apponit, quod semper penes Cancellarios manet. Et hæc est una ex conditionibus in Capitulatione Henrico Valesio propositis, apud Fredronem in Hist. Henrici I. pag. 66. Porro Rex Poloniæ terras ad Regnum pertinentes se non alienaturum promittit, id quod jam Anno 1374. promisit Ludovicus Rex, apud Januszov. lib. 1. Part. 3. tit. 1. Imò ne de bonis quidem mensæ regię, ut vocant, Rex pro libitu disponere potest. Et hoc Respubl. maximè vitio vertebat Henrico Valesio, quod multa de bonis Regiis contra Statuta Senatoribus concesserit. Fredro in Hist. Henr. p. 42. Ad hæc legibus etiam cautum est, ne bona ad Fiscum Regium devoluta Rex sibi retineat, sed eadem Nobilibus conferat. Piafec. ad An. 1624. fol. 438. Vid. Januszov. l. 1. Part. 3. tit. 10. Licet autem Regi bona illa caduca donare cuicumque voluerit, dummodo sit Nobilis Polonus vel Lithvanus, ex Const. Sigism. Aug. An. 1562. Januszov. l. 2. fol. 130. Sigismundus III. insuper constituit ne bona Nobilium devolvantur ad Fiscum Regium, dum adsunt consanguinei usq; ad octavum gradum inclusive, sive illi sint masculi, sive foeminae An. 1588. Janusz. l. 2. p. 131. Si vero Regi vel Reginae condigni desunt proventus ex bonis mensæ Regiæ vel Reginae, solent Ordines Poloniæ in Comitibus concedere, ut ex bonis vacantibus sumptus addantur ad tempus. Vid. Constit. An. 1649. tit. *Opatrzemie Stolu*. Præterea Rex Poloniæ nemini *feudum* confert inconsultis Ordinibus.

D

nibus.

nibus. Hinc expostulationes Ordinum cum Rege Uladislao IV. An. 1639, quod in scio Senatu tale quid ausus sit. Vid. Theatr. Europ. ad dict. an.

XIV. Porro supersunt & alia quæ non censentur inter Jura Majestatis, sed quæ Privatorum etiam libertatem non excedunt, Reges tamen Poloniae ob bonum publicum in illis secundum leges & statuta Regni sese omnia suscepturos promittunt. Non potest Rex per leges & constitutiones Regni *conjugium contrahere* inconsulto Senatu. vid. Stanisl. Lubienski lib. 1. de motu Civili. f. 23. Operum. Olim quidem Reges & Principes Poloniae conjugia contrahebant pro lubitu, nisi quod aliquando suasu & rogatu Senatus, cum finitimis Principibus affinitatem contraxerint, ut de *Casimiro I.* refert Crom. l. 4. f. 451. Neugeb. lib. 3. p. 59. De *Boleslao II. Audace.* Crom. lib. 4. f. 456. Neugeb. lib. 3. p. 63. De *Vladislao Hermanno.* Cromer. lib. 5. fol. 462. De *Boleslao Crivousto.* Cromer. lib. 5. fol. 470. Neugeb. l. 3. p. 78. De *Wenceslao.* Cromer. lib. 11. fol. 578. Neugeb. l. 3. p. 175. quæ exempla propterea adducimus, ut ostendamus falsum esse, quod Franciscus Marinius prodidit lib. de Scop. Reip. Polon. cap. 12. p. 275. *Vladislaum Jagellonem primum de amplissimi Senatus sententia uxorem sibi adscivisse.* Allegat quidem pro sua sententia lib. 5. Cromeri, sed ibidem in principio libri Cromerus de Uladislao Hermanno loquitur, de quo tamen non dicit quod primus hoc fecerit, alias sibi ipsi contrarius esset, ut ex allegatis locis patet. *Vladislaus* autem *Jagello* primus ea lege admissus est ad Regnum, ut Hedvigem Ludovici Regis filiam uxorem duceret. Crom. l. 14. Neugeb. l. 5. p. 229. Et cum mortua Hedvige *Jagello Elisabetham Pileciam* Ottonis quondam Palatini Sendomiriensis filiam, complurium virorum thoros expertam, à quodam Moravo prius raptam, ab alio deinde Moravo huic ereptam, tandem Vincentio Granovio Castellano Naclensi nuptam, uxorem duxisset, tum reclama-

mari

mari coeptum est à quibusdam magnatibus huic conjugio Re-
 gis. Neugeb. lib. 5. p. 265. & 271. Tandem cum *Sigismun-*
du Augustus inconsulto, imo etiam invito, Senatu *Barbaram*
Radziviliam matrimonio sibi junxisset, coactus est An. 1548.
 lege cavere: *ne Regibus postea liceret conjugium contrahere in-*
consultis Ordinibus. Vid. Januszov. Part. 1. Constit. lib. 1. tit. 6.
 Eadem lex repetitur in omnium sequentium Regum Capitula-
 tionibus. De *Henrico*, vid. Fredro in hist. pag. 66. De *Ste-*
phano, Januszov. in lib. Privil. & Interregn. fol. 113. De *Vla-*
dislao IV. ejusdem Capitulatio fol. 14. §. *Strony Malzenstwa.*
 De *Michaële* Rege ejusdem Capitulatio num. 22. in Diar. Eu-
 rop. Continuat. XIX. p. 554. Ob neglectam hanc conditio-
 nem, magni aliquando tumultus orti sunt in Polonia. Vide
 Piasec. ad An. 1592. fol. 113. seq. & fol. 588. Stanisl. Lu-
 bienski l. 1. de Motu Civili. Ex quibus jam patet Regem Polo-
 niæ verè posse sibi applicare illa verba personati Meleandri Re-
 gis apud Barclajum. *Privatorum est, ait ille, ex amicitia affe-*
ctu vel morum concordia eligere matrimonia. Nobis ea sva-
vitatis exuenda est. Regum enim fortuna est, ut nunc indignos
& exosos per sanctissima fœdera sibi conjungant, nunc omni-
um nexuum jura, omnis q̄ sanguinis charitatem inhumana ne-
cessitas negligat. Charissimus esse solet, qui utilitate præcipua
potentiam nostram alit & affinitates pulcherrima censeantur,
quæcunq̄ Regnum stabiliunt. Hæc ille, apud Barclaj. lib. 3.
 Argenidis cap. 15.

XV. Præterea Regibus Poloniæ non conceditur, agros
 proprios sive bona hæreditaria in Regno possidere, qua de re
 non ineleganter differit Illustr. Fredro in hist. Henrici I. Regis
 p. 230. cuius verba hic adscribemus: *Antiquis, ait ille, institu-*
tis Reges nobis sunt summi honorum & munerum arbitri. Pro-
vidit verò Resp. ne honores utriusq̄ status tum beneficia agro-
rum in Regiam prolem præterquam ab autoritate Republ.

distribuantur. Ne si fecundior regnantis Thori accidat genitura & optimi quiq; census publici Regum natis asserventur, tantis impinguati proventibus potentiam quarant intra Rempubl. quâ commodissima ambitioso ad purpuram sternitur via. Verum adest alter metus excretura in Regia civili domo formidabilis potentia, si liceat Regi bona civium trahere in hereditatem domus. Ea enim qua valent Reges opulentia, emptis in possessionem opportunioribus instauranda potentia castris, quod Electionis via modo quaritant Regnum, emptione haberent hereditarium. Idq; suspicabatur Respubl. cum Constantia Regina posterior Conjux Sigismundi III. Regis agrum Ziviecensem ad fines Silesia & Hungaria situm DC. millibus florenorum nostratum à Iohanne Komorskio emerat. Cavet enim in posterum, ne esset potestatis Regia domus quarere intra Regnum hereditatis terras. Hæc & alia Fredro l. c. Imo Sigismundus III. An. 1631. in Comitibus constituit, ut Ziviecensem illum Comitatum à Regina cuivis Nobili redimere liceret. Piafec. ad An. 1624. fol. 438. & ad An. 1631. fol. 502. Constitutio ipsa habetur inter Constitutiones illius Anni fol. 3. §. 2a declarata y podaniem. Ob eandem causam & jam antea Anna Sigismundi I. filia & Stephani Regis conjux antequam coronarerur, & uxor Regis esse declararetur, juribus maris suæ Bonæ, in quibusdam Regni Poloniae, Lithvaniae & Masoviae fundis renunciavit, apud Solikovium in Comment. Rerum à Morte Sigismundi Augusti pag. 66.

XVI. Sed & in hoc potestas Regum Poloniae restricta est, quod ipsis ne pedem quidem liceat extra limites Regni sui efferre, sine consensu Senatus. Et hæc quoque causa est cur *Henricus Valesius* Rex clam ex Polonia discesserit in Galliam nemine ex Polonis consulto. Ocyus enim ipsum adesse in Gallia res requirebat, ut verò inde abiret obstabant leges, quæ vetant Regem fines egredi praterquam à consensu Ordinum, ut ait
Fredro

Fredro in hist. Heinrichi I. p. 116. Et Sigismundus III. Discessum in Sveciam ægrè impetravit, idq; non nisi cautione de re-
ditu intra annum interposita, & quod semper in Polonia post
reditum residere vellet, apud Piassec. in Chron. ad An. 1593.
fol. 118. Quid actum sit in Senatu Regni Poloniæ ob pro-
fectionem Uladislai IV. in Prussiam Ducalem, quæ tamen tunc
temporis feudum erat Poloniæ Vid. in Theatr. Europ. ad An.
1639.

XVII. Quod MINISTROS AULÆ REGIÆ concernit, id
Poloni summo studio curant, ne Rex *exteros* sibi ministros
adjungat, sed ut omnes aulæ Regiæ ministri sint Poloni vel
Lithvani, quod etiam promittunt Oratores Sigismundi III. ap.
Janusov. in lib. Privileg. & Interregni fol. 131. Uladislaus quo-
que Rex Anno 1639. rogatur in Comitibus, ne extraneos habeat
in aulâ suâ. Theatr. Europ. ad dict. an. Confer. Capitulatio Jo-
hannis III. §. *Dwor Stanowi Naszemu*. Primus etiam minister
aulæ Regiæ jurare cogitur, non Regi tantum, sed & Reipubl.
coram Senatoribus, ut & coram Officialibus Regni & Magni
Duc. Lithvaniæ. Omnes etiam ministri aulæ Regiæ, subesse
coguntur jurisdictioni Marschalci Regni. Vid. Capitul. Joan-
nis III. §. *citato*.

XVIII. Tandem videamus quomodò Rex sese gerat in
CONSULTATIONIBUS, circa hæctenus enumerata, tum in aulâ
suâ, tum in Comitibus Regni generalibus. Hic *primo* sciendum
est modernum Regem Serenissimum Johannem III. promis-
se, id se curaturum, ne Serenissima Regina sese negotiis status
Reipubl. immisceat. §. *Waruiemy za malzonke nasze*. In
Comitibus deinde, sententiis Senatorum discrepantibus Rex ni-
hil proprio ausu concludit, sed diversum sentientes ad unam
sententiam perducere conatur. Si hoc fieri non potest, tum
demum pro ea concludit sententia, quæ juribus & privilegiis
Regni conformiore esse videtur. Id se observaturos promisc-

runt Henricus & Stephanus Reges ap. Januszov. l. 3. part. 1. tit. 3. Porro in aula sua, ne Rex proprio ausu aliquid statuat, adjuncti sunt ipsi aliquot Senatores qui essent omnium actionum Regiarum moderatores. Sumpsi hæc res initium tempore Casimiri IV. Jagellonidis, cui quatuor adjuncti fuerunt Senatores, ne omnia ex Lithvanorum suorum sententia, ut solebat, ageret. Neugebaur. l. 6. hist. Pol. p. 333. Postea in Electione Henrici I. *sedecimviratus* Senatorius constitutus est, Regio lateri pro consilio adfuturus, consiliorumq; rationem Reipubl. redditurus. Fredro in hist. Henrici I. p. 65. Hoc ita intelligendum est: Singulis bienniis Comititia in Polonia secundum leges habentur, ut ex l. c. Fredronis apparet, & nos alibi probamus. In singulis itaq; Comititiis 16. Senatores eliguntur, tam Poloni, quam Lithvani. Ex his quatuor per semestre spatium cum Rege in Aula commorantur, his verò abeuntibus, alii quatuor succedunt, & sic consequenter, donec in sequentibus Comititiis alii 16. Senatores eligantur, qui ut legum libertatumq; Polonicarum custodes cavent, ne quid vel contra Regnum vel contra Regem quis machinetur. Licitum insuper est unicuiq; Senatorum, etiam extra hos quatuor Deputatos, in Aulâ regia residere, & consilia cum cæteris conferre. Inter quatuor illos Senatores in aulâ Regiâ residentes, unus debet esse Episcopus vel Archiepiscopus, unus itidem Palatinus, & duo Castellani. Salarium semestre cujusq; Senatorû, Secularium ut & Episcoporum Russiæ sunt 500. floreni ex thesauro Regio. Episcopi verò Regni nihil accipiunt, jam enim ipsis aliàs satis provisum est. Hæc omnia habentur in Constitutione Stephani Regis An. 1576. ap. Januszov. l. 3. part. 1. tit. 3. fol. 274. Sigismundus III. poenam insuper constituit in absentes Senatores. Januszov. l. c. Hi quatuor Senatores simul cum uno vel altero ex Officialibus Regni & Magni Duc. Lithvaniæ, quales sunt Marschalci, Cancellarii, Thesaurarii, consultare jubentur de bono Reip. vid.

volumen

Volumen Constitut. ab Anno 1550. ad An. 1625. ab Andrea Petricovio Cracoviæ impressum fol. 828. & 887. Item Theodorus Zawacki Part. 2. Constit. tit. 5. fol. 36. seqq. Adcò verò dicti Senatores lateri Regio adhærent, ut etiam Regem ad bellum proficiscentem comitentur. Vid. Constitut. An. 1673. tit. *Deputaci.*

XIX. Hæc omnia quæ hæctenus enumeravimus Poloniæ Rex jurat sanctissimè sese observaturum. Et si illa non observaverit, eo ipso solvit Incolas Juramento sibi præstito. Sic enim habent ultima verba juramenti Regii: *Et si, (quod absit) in aliquibus juramentum meum violavero, nullam mihi Incolæ Regni, omniumq; dominiorum uniuscujusq; gentis obedientiam præstare debent, Imò ipso factò eos ab omni fide & obedientia Regi debita liberos facio, absolutionemq; nullam ab hoc meo juramento à quoquam petam, nec ultrò oblatam accipiam, sic me DEVS adjuvet.* ap. Januszov. in lib. Privil. & Interregn. fol. 90. & fol. 106. Hoc juramentum non tantum singulis Actis uniuscujusq; Electionis inseritur, ut ex Actis illis apparet: sed etiam in Capitulatione moderni Regis Serenissimi Johannis constituitur, ut in singulis Regni Comitibus juramentum Regium, ut & Pacta conventa summarie collecta in Senatu primo statim die legantur. Vid. Pacta Conventa seu Capitul. Johannis III. §. *Przysiega nasza.* De hoc juramento, utpotè quod licentiæ frena laxare videatur, conqueritur Senator quidam magni nominis. apud Andream Maximil. Fredronem in historia Henrici I. p. 110. quæ omninò legi digna sunt. Viderunt hoc & alii Regni Polonici Proceres, ideoq; declarationem hujus juramenti aliquoties ediderunt. Vide Januszovium l. c. fol. 108. Tandem An. 1607. & An. 1609. in Comitibus Warsaviensibus Declaratio illius articuli de obedientia non præstanda prodiit, quæ in hunc se ferè modum habet: *Si quis Nobilis, sive sit ex Ordine Senatorio, sive non, viderit aliquid violenter Regem commi-*

commisisse, vel adhuc committere velle contra jura ac privilegia Regni, debet hoc indicare sive Archiepiscopo ut Primati, sive Senatoribus ex constitutione in Aula Regis degentibus, sive etiam aliis Senatoribus. Tum Senatores, sive omnes, sive aliquis eorum seorsim Regem monere debet. Si Rex nihil hoc curaverit, licitum erit unicuique ex Senatoribus, imò etiam illi Nobili, qui illud ad Comitula, quæ generalia Comititia antecedere solent, deferre, & Nuntiis hoc injungere, ut Rex nomine Nobilitatis moneatur, ut desistat à proposito legibus Patriis contrario. Quod si Rex & secundam hanc admonitionem flocci fecerit, licebit rem ad omnes Ordines deferre. Si neque post tertiam admonitionem Rex sententiam juribus Regni adversam mutaverit (suffICIENTER tamen demonstrari debet Regi, quod hac ratione vis inferatur juribus & privileg. Reipubl.) tum demum debent omnes Ordines sese gerere secundum Articulum de non prestanda obedientia. apud Theodor. Zawacki in Compend. omnium Constitut. Regni usque ad Annum 1613. Part. 1. fol. 16. & 17. Tandem cum Rex in devium legis dicto modo abit, tum Primas Regni potestatem habet Senatum convocandi, & cum Ordinibus in viam Regem revocandi. Vid. Fredro. in hist. Henrici I. p. 111 Exemplum hujus rei. Vid. ap. Piasce. in Chron. ad An. 1590. fol. 95.

XX. Cum igitur nobis constet, magnam olim fuisse Poloniæ Regum potestatem, nunc verò tot legibus & constitutionibus esse circumscriptam, inquirendum nobis erit, ex quibusnam causis potestas Regia inter Polonos decreverit. Habemus hic prævium Cromerum, qui l. 2. descrip. Pol. pag. 124. Primò hoc tribuit piis monitis Episcoporum. Et sanè primos Poloniæ Reges Episcopis sacroque Ordini magnas concessisse libertates passim legimus, eò quod ab illis sacris imbuerentur, & salutaribus monitis ad futuram cœlestem vitam instituerentur. Hi postea sine dubio multas libertates reliquis Christianis

nis

nis impetrarunt. Imò ipsi Principes aliorum Christianorum Principum exemplo pertracti, ut imperium suum amore stabilirent, multas incolis concedebant prærogativas, sicuti egregium hujus rei exemplum habemus in Uladislao Jagellone, & patruale ipsius Vitoudo. Cùm enim hi Christianam religionem suscepissent, & per totam Lithvaniam eandem propagassent, statim durum illud servitutis jugum, quo ad illa usque tempora premebantur, ab humeris incolarum suorum devolventes, omnibus illos privilegiis, quibus gaudebant Poloni, donarunt, ut inter alios fuse commemorat. Albert. Wijuk kojalowicz. part. 2. hist. Lithvan. l. 2. pag. 91. seq. Deinde memorat Cromerus Principis potestatem decrevisse bellatricis Nobilitatis meritis, & tertio forsan etiam contentionibus, quod præcipuè de illis temporibus intelligi potest, quibus Regnum hoc erat in plures partes distractum. Possumus nos causam ejus rei *quartam* addere, ex natura Regnorum electivorum petitam. Postquam enim Reges in Poloniâ eligi cœperunt, ne à Regno excluderentur, quidvis Nobilitati concedebant. Exemplo nobis potest esse Ludovicus Hungariæ Rex, qui ut vivente adhuc Casimiro M. Successor Regni Polon. designaretur, tanta Privilegia Nobilitati concessit, ut etiam ab hoc Ludovico, & prædecessore ejus Casimiro M. initium libertatũ suarum ferè derivent Poloni, ut videre est ex formâ juramenti Regum Poloniæ. Ibi enim hæc habentur: *Spondeo & sanctè juro DEO omnipotenti ad hæc sancta IESV CHRISTI Evangelia, quod omnia jura, libertates, immunitates, Privilegia publica & privata per divos prædecessores meos Reges & quoscunq; Principes Regni Poloniae & magni Ducatus Lithvania, præsertim verò Casimirum antiquum, Ludovicum Loiz nuncupatum, Vladislaum I. mantenebo, observabo. &c.* Idem quod de Ludovico diximus, dicendum etiam est de Uladislao Jagellone, qui ut filius sibi in Regno surrogaretur, maxima itidem Nobilitati concessit

E

Privi

Privilegia, ut historici referunt. Cromer. l. 19. fol. 680, & alii.
Confer. & Henning. Arnif. l. 2. Doct. Pol. c. 3.

XXII. Jam tempus monet, ut investigemus quænam Re-
gni species convenerit & olim Poloniæ, & quænam adhuc ho-
diè ipsi conveniat. I. Antiquissimis temporibus obtinuisse
Regnum Barbaricum, i. e. *Dominatum* posset aliquis colligere
ex Cromeri verbis suprâ Num. IV. citatis. Verum *regnum bar-
baricum* cum sit tantum inter illas gentes, quæ ad servitatem
prone sunt, & propterea quoq; dicatur *Dominatus justus*, Po-
lonis antiquis illud tribui non potest, qui non ad servitatem sed
ad libertatem fuerunt nati. Audiamus de antiquis *Slavis*, qui
adhuc orientalem Vistulæ ripam tum accolebant, differentem
Procopium Sec. VI. Scriptorem. *Antarum*, ait ille, *Slavi-
norumq; nationes non ab homine aliquo uno reguntur: Sed ab
antiquo plebea, communiq; libertate vivunt, & idcirco res
omnes, quæ vel utiles sint, vel fortè difficiles in commune con-
siliium deducuntur.* l. 3. de Bell. Goth. c. 7. p. 542. Et cum
Slavi oras illas occidentales essent ingressi quidam eorum anti-
quam libertatem retinuerunt, id quod de *Lutitiis* Slaviciis po-
pulis testatur Dithmarus Mersburgensis Sec. XI. quando ait:
*Illis Dominus specialiter non presidet ullus. Vnanimi consilio
ad placitum suimet necessaria discutientes, in rebus efficiendis
omnes concordant.* l. 6. hist. p. 136. Vero itaq; non absimile
est, Polonos, cum in has oras, quas jam possident, commigra-
re vellent Ducem itineris sibi præfecisse *Lechum*, qui etiam in-
troductâ in has oras gente Principatum obtinuit. Jam verò
persuadere mihi non possum Polonos Lecho servilem in mo-
dum sese subjecisse. Affectarunt quidem sequentibus tempo-
ribus *Dominatum* in liberâ hâc gente Principes quidam, ut *Po-
pielus junior*, hoc tamen ad *Dominatum* illum justum, quem
suprà citato loco describit Aristot. non potest applicari. Nam
Popielus iste liberæ genti, jugum imponere voluit, adeoq; ad
Domi-

Dominatum injustum adspiravit, quem tamen non obtinuit, DEO scelera ipsius condignâ poenâ ulciscente. Propius ad veritatem accedunt, qui primis illis temporibus imperio Polonico *Regnum Heroicum* applicant. Hoc enim fuit, quando ob ingentia in populum merita, Regnum ad unum deferebatur, ut suprâ audivimus. Jam verò Lechus cum Polonos feliciter in has oras, ubi jam degunt, introduxisset, ingenti ipsos sibi devinxit beneficio, quo & sibi, & (ut quidam volunt, quamvis forsan minus recte) posteritati suæ peperit imperium. In hâc sententia est Michael Piccartus in Comment. ad l. 3. Pol. Arist. c. 14. p. 465. Verum neq; hæc Regni species, Regno veteri Polonico exactè respondet. Nam Regnum Heroicum fuit legibus adstrictum, nec infinitam omnium habuit potestatem, ast Polonici Monarchæ, quantum ex hodiernis Scriptoribus Polonicis constat, omnibus legibus soluti fuerunt. Convenientius igitur est ut dicamus in Poloniâ tum fuisse *Regnum simpliciter & propriè ita dictum*, ubi Rex, vel Princeps, Patris instar, sine ullis legibus, liberam omnium, in liberâ gente, habebat administrationem, omnia tamen ad communem omnium, ut filiorum, referebat utilitatem. Neq; objici potest, Cracum leges tulisse, ut diximus supra adeoq; jam secundum leges imperasse, quod Regno propriè ita dicto non convenit. Nam adhuc dubitari potest, an Cracus ullas tulerit leges, cum Dlugossus & qui eum sequuntur multò sint recentiores quàm ut de tam antiquis rebus nobis indubitatam facere possint fidem. Deindè posito quod leges tulerit, eæ tamen fuerunt paucæ, nec imperium Regium ullo modo limitabant, sed datæ fuerunt subditis ut secundum illas vitam suam instituerent. II. Sub Regibus Poloniæ, ut & sequentibus temporibus, cum jam Principes & Reges Christiani Polonis præessent, coepit Regnum illud limitari. Cum enim Principes multa Privilegia in subditos suos contulissent, sine dubio in inauguratione sua more aliorum



Principum Christianorum iuraverunt, se privilegia & libertatem Regni conservaturos., adeoq; illa forma proximè accedebat ad illam speciem quæ Arist. dicitur *Regnum Heroticum*, non quidem ratione collationis, sed ratione potestatis Ill. A temporibus *Casimiri M. & Ludovici* Regum iam cœpit misceri Aristocrazia cum Monarchia, ita tamen ut Regnum prævaleret. Hodie magis adhuc potestas Optimatum crevit. Si itaq; quæramus, quænam ex supra datis Aristoteis Regni speciebus Poloniæ conveniat, respondit jam ante seculum Martin. Crom. l. 3. descript. Polon. *Regnum Polonia à veteri Lacedæmoniorum, vel hujus temporis Venetorum non multum differre.* Consentire his videtur Stanislaus Orichovius (quem Cojalowicz Cicronem Roxolanum appellat) in Oratione ad Proceres habita, quæ præfixa est Corpori Constitutionum Regni Poloniæ Jacobi Prilufii: *Rex Polonia, ait ille, nihil aliud est, quam es quoddam Regni vestri vobiscum conjunctum, libero ac legitimo vestro suffragio, ut is prorsus nihil agat, nihil moliat, ac ne loquatur quidem, nisi id quod ex intimo sensu vestro publicè sit profectum. Senator autem quem Majores præsidem libertatis atq; custodem esse voluerunt, ea ratione Regi adjungitur, ut custos is sit ac vindex illius cupiditatum, ac ut in sententiis dicendis Regi præeat, illumq; doceat, quid illi pro communi vestrà salute agendum edicendumve sit. &c.* Sed magnum adhuc discrimen inter Regnum Laconicū & Polonicum SPARTANI duos simul habuere Reges pari potestate ac dignitate ex Aristodemi filiis Procle & Euristhene oriundos. Herod. l. 6. Hist. Hinc Resp. Laconica propius ad Aristocraticam formam accedebat, quam Polonica, quæ unum habet Regem. Colligimus hoc & ex Dionys. Halycarn. qui Romæ, cum Aristocratica forma introduceretur, exemplo Spartanorum duos Consules esse creatos dicit lib. 4. Antiq. c. 79. Deinde potestas Regum Spartanorum fuit exigua. Pacis enim tempore duo ipsis Sacerdotia, more aliarum gentium, fuerunt commissa, nempe *Jovis Lacc-*

Lacedaemonii & Iovis Cælestis. Inter Magistratus duos tantum *Pythios* eligere poterant, quos ad consulendum Oraculum Delphicum mitterent, ut & *Proxenos* sive Præsides hospitem publicè advenientium, v. g. Legatorum aliorumq; curam gerentes. Ast Rex Poloniæ solus ferè omnes Magistratus creat, quod non minimum est inter majestatis jura. Licet autem munus Sacerdotale non gerat, ut Spartani Reges, hoc tamen majestati ipsius non officit, cum hoc munus nulli Christianorum Regum competat. In bello verò major potestas Regum Laconicorum fuisse videtur. Testatur hoc Herodotus: *Ius belli, inquit, habent in quamcunq; libuerit regionem inferendi ut id nulli Spartatarum prohibere fas sit.* lib. 6. Hist. Quamvis neq; hæc ita simpliciter accipi possint. Nam bello Navali Reges rarò præficiébantur, idq; cum fiebat, non præficiébantur terrestri, ut probat Nicol. Cragius de Rep. Lacedæm. lib. 4. c. 4. & 5. Deinde non videntur Reges Lacedæmoniorum bellum ullum gerere potuisse, nisi prius esset à populo decretum. Id enim indicant verba Xenophontis: *Quocunq; ait ille, civitas militum copias mitteret, Ducis munere fungebatur.* lib. de Republ. Lacedæm. circa fin. Aristoteles quoq; dicit: *Cum Rex egreditur extra Regionem imperium habet eorum quæ perzinent ad bellum.* lib. 3. Pol. c. 14. Executio itaque tantum belli à Rep. decreti absolute competebat Regibus Spartanis, quâ in re major ipsorum fuit potestas quam Polonorum Regum, qui in ipso bello admittunt consilium bellicum. Constitutum enim est nuper sub Rege Michaelæ, ut Rex in bello præter Senatores & Officiales Regni & magni Duc. Lithv. certos quosdam Deputatos denominaret, tum ex Senatu, tum ex Nobilitate omnium trium gentium (nempe majoris & minoris Poloniæ, ut & M. Duc. Lithv.) qui Consilium bellicum constituent, & partim Regi partim etiam Ducibus exercituum adsint, & ita quidem ut Poloni Polonis, Lithyani Lithvanicis Ducibus



bus adiungantur. Vid. Constit. An. 1673. tit. *Deputati* p. 12. seq. Porro alii honores Regibus Lacedæmoniorum exhibiti, fuerunt perexigui; opes etiam mediocres, adeo ut his ante alios cives non excelleret, ut ex Herodoti & Xenophontis ll. cc. manifestum est. Præterea potuerunt Reges Laconici *pecuniâ mulctari*, ut Archidamus Rex à Rep. mulctatus est, eo quod parvam uxorem duxisset Plutarch. lib. de Educand. Lib. in pr. Potuerunt *in exilium ejici*, ut Leotychides & Pausanias experti sunt. Imò etiam *morte mulctari* potuerunt, exemplo nobis potest esse Agis, qui ab Ephoris in carcere necatus est. Vid. Xenophon. & Herod. ll. cc. ut & Pausan. in Laconicis. Justin. lib. 3. Hist. c. 3. Indè verè dixit Cornel. Nepos, *Lacedæmonios habuisse duos Reges nomine magis quam imperio.* in Agesilao in pr. Ast quanto majores Polonorum Regibus exhibentur honores? Cum Venetorum Republ. etiam non plane convenit Imperium Polonicum. Nam in DUCE VENETO licet species quædam Regiæ dignitatis reperiatur, verè tamen forma illius Reipubl. est Aristocratica. Annua Duci pensio persolvitur aureorum ter mille nec non quingentorum; sed quatuor temporibus convivium debet celebrare. Janottus de Rep. Venetâ. p. 197. Duces etiam suos Veneti multare possunt, cum ignominiâ & exilio, tum etiam cæde. Nicolaus Crassus p. 387. & 391. In defuncti etiam Ducis vitam inquiritur & si minus rectè Rempublicam administraverit, multam pecuniariam pendere coguntur hæredes. Janottus. pag. 168. Et ut verbo omnia complectar: Dux Venetus in Republ. planè nullum ex majoribus Majestatis juribus exercere potest solus. Sed in Poloniâ multò majorem Regum esse splendorem, multo majorem etiam potestatem ex superioribus elucescit. Testantur illud passim Scriptores. Audiamus Fredronem, qui Duces Venetos cum Regibus Poloniæ conferens ait: *Illic (Venetiis) abesse fateberis corrumpenda libertatis (ut sic dicam) venena, ab ea potestate Principis,*
qua

qua parva est, cum ille solo nomine sit, re ipsa verò primus Senator, primus q̄ Patricius, primus q̄ Reip. civis. Nobis verò Polonus majoris autoritatis, tituli & potentia sunt Reges, quibus divisa licet cum Republ. jubendi consulendiq̄ potestas inest. Majestas tamen Regum alia. Tituli verò, honores, munia Reipubl. & benèmeritorum premia in manu & arbitrio illorum sunt. in fragm. Pol. p. 187. Concludimus itaq̄; Regnum Polonicum non esse quidem prorsus ejusdem formæ cum Laconico, proximè tamen ex dictis Regni speciebus ad Laconicum accedere, & esse Regnum ex Monarchiâ & Aristocratiâ mixtum.

XXII. Dices Regnum Polonicum eodem modo esse ex Regno, Aristocratiâ & Politia mixtum, ut fuit mixtum Laconicum Regnum. Ibi enim Regia forma conspicitur in Rege, Aristocratiâ in Senatu, Democratia in Nunciis terrestribus, qui Ephorum instar libertatem populi propugnant. In hac opinione est Simon Starovolscius in Poloniâ suâ. p. 246. Idem etiam de Rep. Veneta asserit Johannes Cotovicus quod mixtionem omnium statuum admittat. Monarchiam, quæ penes Ducem est. Aristocratiâ quæ constat ex Senatu, Decemviris & Præconsultoribus. Democratiam quæ ex universo Patriciorum constat conventu. Verum hæc minùs accuratè dicuntur. Nam ad Politiam sive Democratiam hoc requiritur, ut & plebs sit particeps imperii, ut Lacedæmonie fuit teste Justino. Ibi enim Lycurgus administrationem Reip. per Ordines divisit. Regibus potestatem bellorum: Magistratibus judicia per annuas successiones: Senatui custodiam legum: Populo sublegendi Senatui, vel creandi quos vellent Magistratus, potestatem permisit. Fundos omnium equaliter inter omnes divisit, ut equalia patrimonia neminem potentiorum alterò redderent. lib. 3. hist. c. 3. Sed in Venetâ Republ. & præcipuè in Polonico Regno plebei planè excluduntur ab administratione Reipubl. quod ad eò verum est, ut etiam plebei ne scribæ quidem aut causidici esse possint, in judiciis

diciis Nobilium, ut & in summis Regni & Magni Duc. Lithv. tribunalibus. Mittunt quidem in Polonia civitates nonnullæ Nuntios suos ad Comitata, ut sunt *Cracovia*, *Vilna* & aliæ, illæ tamen non faciunt diversum Reipubl. Statum, sed Nobilitati accensentur, quia Consules, (sic dicuntur Senatores in urbibus, ad differentiam Senatorum Regni) in ejusmodi urbibus consecuti sunt jura Nobilium. De Vilnensibus & Cracoviensibus. Vid. Aaron Alexander Olifarovius l. 2. de Politicâ hominum societate. c. 1.

XXIII. Si tandem quærat, quænam hoc tempore forma prævaleat, an Regnum, an verò Aristocratia. Non verebimur asserere, prævalere Aristocratiam in plerisq;. In aliis maximum Regibus suis deferunt honorem Poloni, adeò ut non ex vano gloriantur, nullam unquam gentem tanto amore suos Reges prosecutam esse, quantò Polonia suos prosequitur. Quod si enim turbæ, tumultus & rebelliones aliarum gentium, sæpius etiam cum eadè Principum conjunctæ perpendantur, felix hoc nomine prædicari potest Polonia, quæ in maximâ libertate, ita sæpissimè turbas ciebat, ut tamen salvam erga Principes suos servaret reverentiam. Vid. Autor Defensæ Poloniæ, contra Barclajum, apud quem multa in hanc rem occurrunt. Illud etiam gloriam genti Polonicæ parit non exiguum, quod Adamus de Kobilino Konarski Episcopus Posnaniensis ad Henricum Poloniæ Regem electum dicere potuerit: *Confessus es in eo solio quod non novit hucusq;, nec veretur sicarium, in eo, in quo nusquam captivi consedere Reges.* apud Andream Fredron. in hist. Henrici I. pag. 99. fin. Non minus eleganter quoq; Albertus Ines part. 3. Lechiad. in Henrico Valesio: *Etsi aliquos Regum, quos ipsa impietas proscripserat è solio ejecimus, nullum tamen de vitâ.* Neq; exterorum defunt testimonia, quibus fides Polonorum erga Reges suos prædicatur. Frider. de Marsilaer dicit: *Polonos Regibus semel sumptis*

sumptis semper fidos esse. l. 1. de Legat. c. 29. p. 159. Et non ita pridem Samuel Schurtzfleisch: Comitari Regem, ait de Polonis, in quacunq; fortuna decus interpretantur. Multas gentes ferro sevisse in Reges suos compertum. Poloni servatorum Regum gloriam tulerunt. Dissentiri quidem & obniti indignariq; insuper, saepe & edere irati animi signa non rarum. Sed manus Regum imbuere sanguine & insontes deponere ad necem generoso haectenus populo piaculum fuit. Magna haec fides, gloria autem fide major, pietas longè maxima. H. l. in Lineamentis Sarmaticis. num. 10.

XXIV. Ut autem ferè nunquam adeò felix futerescit seges, ubi non simul infelix inveniatur lolium, ita etiam laudem hanc gentis Polonicæ aliquando ferè quorundam subvertit ferocia. Conqueruntur hæc de Poloni Scriptores. vid Stanis. Lubienski in Dissertatione & Querela de statu rerum Poloniæ. An. 1622. fol. 139. Oper. & seqq. Christophorus Varsevicius in lib. de opt. statu libertatis passim. Sed hæc toti genti non possunt imputari. *Paucos excipimus, ait iterum Schurtzfleisch, quibus sensum obsequii sive innata ferocia seu pertinacia excussit. Hos rebus studuisse novis, recessisse à fide erga Reges, excussisse reverentiam sicut notum, ita universa genti neutiquam imputandum.* Hæc ille. l. c. Contigit etiam An. 1620. ut Sigismundus III. à quodam Michaelo Piekarski vulneraretur, sed hoc exemplum in opprobrium gentis non cedit, cum Piekarskius fuerit mente motus, satisq; Poloni in hoc casu indignationem suam ostenderint. Res tota sic se habet: Cum Sigismundus III. Rex huic Piekarscio ut furioso Curatores assignasset, ille hanc injuriam reputans, Regem in templum euntem, clavâ mucrone eminente muniâ, (*Ezekan* dicitur) semel atq; iterum percussit. Statim sicarius comprehensus, quæstionibus subiectus, deinde sententiâ Comitiorum damnatus, ignitis forcipibus laniatus, postea manu dextra & digitis articulatim præcisis,

QK TH 3305

cisis, equis in diversum incitatis à pedibus distractum, carnifex
flammis consumpsit, eiusq; cineres in profluentem Vistulam ab-
jecit. Bona quoq; sicarii fisco fuere applicata, uti hæc refert
Paulus Piascius ad dict. an. fol. 404. Sed restant majora, quæ
forsan gloriam illam Polonorum infringent. Detestantur mul-
ti perniciosissimum Rokosz, quod vulgatum nomen, est gentis
tessera, qua in tumultu aliquo auditâ omnis qui censetur No-
bilis, licet sit alligatus obsequio alicujus Principis vel Nobilis, re-
lictâ eo ad communem concurrentis Nobilitatis cætum venire
pænis gravioribus obligatur. ap. Piasec. in Chron. fol 69. Hoc
verò nomen Rokosz, petatum est ab Hungaris gente ad seditio-
nem natâ, ut dicit Stanislaus Lubienski in Vitâ Matthæi Pstro-
konii Episcopi Wladislaiensis & Regni Cancellarii fol. 423.
Exemplum hujus rei (præter antiquius illud sub Ludovico Re-
ge) habemus tempore Sigismundi I. Anno 1537. Tum enim
etiam acclamatum Rokosz. Nobiles omnes Rege & Proceribus
relictis invicem conjuncti severiorem rationem administratio-
nis Reip. ab ipsis requirebant, & Senatores quosdam malorum
Consiliorum autores pene oppresserant. Piasec, in Chron, ad An.
1606. fol. 280. Confer. & Neugeb. l. 7. ad An. 1537. Con-
foederationes etiam in Polonia quis non novit? Imò inter ipsos
Polonos communi proverbio jactatur: *Poloniam confusione
Regi.* Verùm neq; hæc gloriam hujus gentis infringunt, cum
seditionum talium exempla rara sint, neq; apud alias gentes de-
sint. Ad proverbium illud benè respondet Illustris. Andreas de
Pilcâ Corycinius Castellanus. Vislicensis. *Multa, inquit, mira
paradoxa in hoc ævo legi. Illud vero est culmen omnium para-
doxorum, in quod consentiunt moderna ora cum veteribus, &
dicitur jambis mille annis ab incunabilis hujus Regni. CONFU-
SIONE REGITUR POLONIA. Felix illa Confusio dicenda, qua
inter tot sudata bella & pericula virgo hujus gentis gloria est
eluctata.* In perspectivâ Polit. cap. 6. p. 103.

TANTUM,


MC

WMA

Q.K.
3793

H

M



II R
5306

ATIO

EMPE-
NICI,

O Hartknoch/
uffo.

TI,
MENSENIUS,

